This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

56

Quatenus Fabulæ credendum sit de Argonautarum Cursu Maritimo.

ORATIO

CANCELLARII PRÆMIO DONATA, ET IN THEATRO SHELDONIANO HABITA.

DIE JULII VI., MDCCCLIX.

AUCTORE

D. B. MONRO, B.A.,

COLL. ORIEL. SOC.

9.

"Heu quantum Colchis, quantum Æa recessit."
Valerius Flaccus.



OXONII:
T. ET G. SHRIMPTON.
1859.

9 f. 11

Contents.

VALUE of fiction and mythus as a record.—Difficulty of subject.—Its celebrity.—Greek fondness for the sea.—Discussion of myths in general.—Fallacy of rationalising by cutting out the miraculous parts.—False theory of the genesis of the myth.—Testimony of the poets.—Of Plato.—Possible origin of myths.—Strong feeling generates myths.—Principle of preferring the most ancient form of the myth.—It is also usually the most miraculous.—Comparison to human life.

Different versions of the Argonautic expedition.—Spread of relics of it.—Explanation by taking away the miracles.—Still incredible.—Even maritime enterprise of mythic time questionable.—Fallacy of *posito effectu ponitur causa.*—Locality of Ææa.—Astronomical Ideas.—Religious origin.—Historical origin.—Dasent's Tales from the Norse.—Comparison of rationalising method (euemerism) with that of treating the myths as wholly fictitious.—Comparative mythology.

QUATENUS FABULÆ CREDENDUM SIT DE ARGONAUTARUM CURSU MARITIMO?

Cum tota quidem historia rerum gestarum frugifera et fructuosa, neque ulla pars ejus inutilis ac sterilis sit; tum nullus feracior in ea locus est neque uberior, quam de fabulis quæ circa tempora antiquissima, atque ipsa gentium initia traduntur. Si enim, ut fit, in rerum factorumque seriem, velut in speculum, intuentibus, hominum inde ingenia moresque populorum innotescant, fructum haud minimum afferet fictorum quoque fabularumque cognitio: in quibus ut prope nihil momenti habet rerum eventorumque consequentia, ita clarius licet planiusque ipsius hominum ingenii rebus omnibus remotis formam et imaginem intueri: quamvis enim rebus gerendis certus aliquis ordo ex ipsis negotiis adhibeatur, qui facta hominum ac studia intra fines arctos comprimat, at in fingendis omnia libera, et ad arbitrium cujusque seu libidinem permissa sunt. Itaque in iis diu versati sunt viri doctissimi, ac prope majorem illustrandis operam dederunt quam notis ac recentioribus; quia mentis agitationi investigationique earum quas cogitando consequi possumus stimulum quoque addit ipsa rerum obscuritas, ipsæ ambages angustiæque. Ex quibus quum nobis etiam conandum sit ut eodem tentato interpretandi discrimine tandem aliquando justum fructum percipiamus, videmus tot tamque illustres viros hæc jam contrectasse ut prope desperata esse videantur: speramus tantum nos non adeo et operam et oleum perdituros esse ut non meliorem rerum notitiam ex tanta scriptorum mole, tan-

quam e spinis fruges legentes, consequamur. Quamvis igitur in tanta vetustate rerum ac caligine qua omnia, ut a longo spatii intervallo spectantibus, obfusa ac prope demersa esse videantur, tamen subveniendum est sermone, viresque quantulæcunque sunt nostræ adhibendæ. Equidem magnos prævideo casus volvendos esse, magnum rerum ordinem nasci, ac jamjam præclarissimæ illius gentis primam navigationem eandemque fama celeberrimam tractandam. Magnitudo etiam his rebus gravitasque addita est vel maxima: ut enim universæ Græcorum gentis gloriam splendoremque omittam, heroum facta ea percurrenda, quæ contemplantes ipsorum mores, virtutem, ingenium noscamus: quorum tamen solidam et expressam effigiem nullo modo possumus delineare, umbra tantum et imaginibus utimur. Accedit etiam quod illorum res maritimas præcipue animadvertere oporteat, quas illustrissimas et florentissimas fuisse nemo ignorat.

Voluptatibus enim illi maritimis incredibiliter delectati sunt: quæ ejusmodi sunt ut neque ullis horarum mutationibus impediantur, et ad libertatem proxime accedere videantur. Habent enim nautæ rationem cum mari, quod nunquam viam ac commeatum recusat, neque unquam non divitiis opibusque sese cumulatos redditurum pollicetur, qui in eo satis assidue periclitantur: sed alios cito, alios post labores diutius sustentatos. Quanquam me quidem non fructus modo sed etiam ipsius pelagi vis ac natura delectat; quod cum gremio mollito ac facili navem deductam excepit, primum eam sulco lenissimo subvehit, seque carinæ findendum præbet, viamque planissimam sternit munitque: deinde seu ventorum flatibus gratissimis per fluctus mittit leniter undantes, ac circa proram murmure secundo spumantes, seu placidum suum marmor remorum tonsis corruendum sinit: aut si Neptuno aliter libitum est, vehementi aurarum agmine

rem gerit, ac grata vice periculorum otii futuri fructum longe dulciorem laborum memoria efficit.

Hanc igitur Argonautarum navigationem alii fictam esse putant, alii veram: plurimis autem placuit in hoc confuso fabularum acervo, sicut aurum in rudi massa, latere aliquid veri quod diligentius scrutando ac doctis adhibitis judiciis reperiri atque in lucem erui possit. Quæ cum ita sint, nobis quoque hæc ratio aut ineunda est aut certe tentanda ac perpendenda, quum de universa fabularum multitudine, tum præsertim ad eam explicandam de qua nunc agendum est. Quum porro ii qui e tenebris illis lucem educendam suscipiunt vias maxime diversas aggrediendas putaverint, plerique autem ita fere rem agendam esse ut exutis rejectisque quæ mirabilia et incredibilia sint, sive ad vulgus alliciendum haud dubie conficta videantur, supersint tamen veræ historiæ tanquam radices ac semina, alii aliter rem tractandam habuerint, nobis quæ apud quemque dignissima visa erint, ea animadvertenda sunt. Itaque video quæstiones fere binas proponendas esse, quarum altera ejusmodi est ut universas illas rationes quibus fautores acerrimi quum inter veteres tum hodie exstiterunt breviter perstringamus; altera ut viam eandem de ipso Argonautarum itinere ingressi tum demum tanquam per exemplum illud quid sit in unaquaque ratione improbandum, doceamus. Etenim si quid dure aut moleste sive in viros doctissimos sive in heroas ipsos quorum facta virtutemque nunc manu temeraria attingimus, dicendum erit, Nemesin deprecamur, atque audacioribus hisce cœptis veniam a Manibus ac numinibus ipsorum oramus.

Sed hanc ingentem narrationum multitudinem nemo ut opinor hodie veram aut divinam esse credit: ita ut vix possimus animo reputare longissime olim abfuisse quin homo quisquam Græcus harum incredulum auditorem se jactaret: postea si unus alterque contemtorem earum

se profiteretur, statim nefastum impiumque habitum esse. Nunc omnia ea mutavimus: fuit Græcia, fuerunt Græcorum religiones: nos si fabulis ut historici utimur, at cunctas a religionibus disjunximus. Attamen maximam earum partem ad sacra ac religiones veterum pertinere, ac circa ritus, fastos, cærimonias versari haudquaquam nobis obliviscendum erit. Quamvis enim hodie legentibus non adhuc superstitionis tanquam colorem præ se ferre videantur, tamen apud auditores ipsarum æquales rem divinam ac præsentia numina vel maxime redolebant: ut hoc quoque affirmare ausim, fabulas si ab hac pietate Græcorum sejunctæ sint, vi omni atque nervis propriis carere: ac fortasse etiam prope ineptas ac putidas videri. At nos, permutata rerum vice, miracula illa omnia numine ac religionibus plena jam pro nihilo habemus, sed quicquid in iisdem tritum ac vulgare, et a quotidiana hac vita aut nusquam aut paullum distans, id magni pretii solum æstimamus: atque ita demum rerum naturam permutamus, ut quæ ipsi narrantes vim nervosque totius orationis continere putabant, nos tanquam inutilem mendaciorum acervum exagitemus, contra quam illi partem minore studio et cura prosequebantur, in eadem nos solam latere veritatem judicemus.

Quum igitur propositum sit ut de interpretationibus illis judicium feramus, primum illud animadverti oportet, quonam modo tota fabula nata esset, quibus rationibus fama hominum vigeret, et in hanc molem ac magnitudinem deinde cresceret et adulta esset. Putant enim, nisi fallor, viri sagacissimi et antiquitatis peritissimi, res quasdam evenisse quas, rumoribus æqualium nobilitatas, postea sibi sumebant poetæ quas excolerent et ornarent: ab iis deinde assuta esse mirabilia multa, nonnulla etiam in majus amplificata esse, quo carmen magis nitidum ac decorum prodiret. Tum qui contra hæc disputant, eam viam ac rationem ineunt, ut ex duabus hisce senten-

tiis alteram eligere necesse sit, ut aut facta quædam hominis cujusvis putemus tanto honore tamque late patente apud suos habita esse ut primum quidem in religionem cessissent, postea miraculis multis ad religionem eandem accommodatis ornata et cumulata essent; aut, quod verisimilius esse duco, ex ipsis hominum religionibus miracula primum ducta prodiisse, deinde totam narrationem ex miraculis fluxisse, et a poetis vatibusque Musarum inspiratione motis ita conflatam esse, ut ea quam aptissime nunciarent ostenderentque. Quibus vero rebus adducor ut huic rationi potius assentiar, hæ fere sunt. Existimo enim nihil magis ab indole vatum priscorum ac Musarum Phœbique interpretum abhorrere quam ut alia in carminibus suis vera et credibilia, alia falsa quidem, at decora et venustatis causa adhibita essent; nihil denique quam ut quicquam conscio mendacio narrarent, nedum (pace illorum dixerim) vera falsaque omnino dijudicarent. Artem scilicet rhetoricam ac serioris ætatis commenta olet qui in opere pangendo veram aliquam historiam tanquam fundum et initium rerum primum exquirit, postmodo res fictas velut tabulata et ornamenta superinstruit: apud poetas autem primævos ratio minime scholastica valebat, et hujusce longe dissimilis: qui quum nondum poetæ germani esse desiissent, neque in artifices quosdam libellorum mutati essent, carmina illa ex credula ingenii sui simplicitate ducebant, fictis verisque nullo discrimine confusis et permixtis: ut quæ divini poetæ consilio ac prope rerum natura cohæsissent, frustra ea disjungere conaremur. Quæ si cui displiceant, velim meminerit ipsos poetas confitentes apparere. Quis enim eorum affirmat se quæ ab aliis acceperit referre? quis unquam mortales ullos sibi auctores fuisse profitetur? Immo Musas Phœbumque[a] ipsum testantur, a quibus solis sese omnem rerum noti-

[a] e.g. Iliad, II. 484—492.

tiam accepisse dicunt. Musas in exordiis orant ut sibi rem unamquamque in mentem inspirando revocent: Musas omnium memores gnarasque esse clamant. Neque vero sibi conscii indolis vis ullius inventionisque copiæ quam iis fuisse prædicamus, sed per insaniam aliquam ac divinationem se narrationem conficere putant, atque simul ab omni arte et disciplina maxime abhorrent. Quid plura? Num testes advocare necesse est? num hanc accusationem ex ipsis poetarum verbis probare? Adsunt quidem plurimi: habeo enim ipsum omnium poetarum principem Musas Olympicas invocantem; quem Virgilius quoque secutus precabatur ut panderent sibi Helicona, et cantus moverent:—

Et meministis enim (inquit) Divæ, et memorare potestis
Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.

Quid planius? Famam inter ora vulgi natam poeta dicit se accepisse, deinde divina ope et Musarum inspiratione, nempe perfervido suo ingenio et poetica vi animi, cætera confecisse, Reliquos si vocaveris, multam auctoritatem, multosque testes habebis, si quidem omnes placet multos appellari. Sed malo philosophum adhibere, qui, ut poetis Homerus, ita cæteris sapientibus præcellebat. Platonem[b] igitur audiamus in Ione ad hunc modum de poetis disserentem: "neque vero" inquit "ars appellanda est ista quam de Homero bene dicendi facultatem habes, sed divina vis quæ te commovet, ut in lapide quem Euripides Magnetida, ceteri Heracleam vocant: qui quidem non solum hoc habet quod annulos ferreos ad sese trahit, sed etiam vim eandem annulis ipsis addit, qua possint æque ac lapis ipse annulos alios trahere, ut tandem series longiuscula annulorum mutuo inter se nexorum conficiatur, quibus omnibus eadem illa vis communicata est. Neque aliter

[b] Plato, Ion, pp. 533, 534.

Musa alios ipsa divino numine implet, aliis per hosce vim illam participantibus series lymphatorum conficitur. Omnes enim poetæ boni non per artem sed divino aliquo instinctu domiti carmina præclara pangunt. Itaque Deus mente ac ratione iis adempta, deinde famulis ministrisque utitur et haruspicibus et prophetis divinis, ut audientes sciamus homines qui hæc loquuntur non adeo meritis suis mirandos esse, quippe quibus mens desit, quoniam Deus ipse est qui locutus est, atque per eos suam ipsius vocem nobis edidit." Hue etiam nescio an pertineat quod quatuor aut vel plura hominum sæcula fecerunt poetæ nonnulli; qui quanta discrepantia æquales sui a priscis illis ætatibus sejuncti ac remoti essent, hac metallorum diversitate significare voluerint[c].

Sed quæritur qualis tandem hæc divina inspiratio esset, aut quemadmodum homines œstro quodam ac furore instigati essent ut res fictas ejusmodi comminisci vellent, quas deinde recitatas avide excepissent, carminibus postremo præclarissimis condidissent. Respondeo permulta esse quæ in causa esse potuissent: quæ facile proculdubio apparebunt animo reputanti inter homines rudes adhuc et rerum causarumque imperitos, simul superstitione plenos, multis credi fidemque fieri quæ tamen falsa omnino sunt: ii enim vix per inscitiam eo perveniunt ut verum exquirere ac discere aut plerumque possent, aut fortasse si possent, vellent[d]. Quicquid enim est affectus vehementioris aut hominum multitudini satis magnæ aut civitati alicui commune, id non solum argumentis fallacibus vim et auctoritatem addit, sed etiam narrationes fictas plurimas gignit, iisque fidem apud auditores præstat: omnes denique animi motus, omnia quæ agunt homines, votum, timor, ira, voluptas, gaudia, alicui fit materia, si non, sicut Juvenali ejusque æqualibus, satirarum et incusationum, at potius

[c] Niebuhr's Lectures on Ancient History.
[d] Vid. Grote, Westminster Review, May, 1843.

narrationum, fabularum, carminum Epicorum. Fieri enim non potest quin hoc fermentum quod adeo intus homines movet agitatque viam sibi inveniat, aut aliquando tandem erumpat atque per narrationes idoneas sese ostendat et agnoscendum præbeat. Itaque his fere causis ficta ista et gignuntur, et genita auditoribus commendantur; hominumque ipsorum studia orationi fidem, oratori audaciam in narrando et auctoritatem suppeditant. Quæ igitur narrationes quamvis totæ fictæ veroque omnino carentes sint, tamen et probabiles sunt et speciem dignitatemque veritatis maxime referunt. Harum quidem nemo agnoscit se auctorem fuisse, at tota civitas sibi jure legitimo vindicat, ac studio denique tam vehementi amplectitur, ut vix ulla testium multitudo fidem meliorem possit efficere. Equidem velim iterum admonere penitusque mentibus infigere, hasce narrationes quam longissime distare ab iis quæ quum a veritaté nonnihil in mendacius descivissent, tamen origine aliqua ac tanquam fundo in rebus ipsis nitebantur; atque inter duo hæc genera nihil commune esse. Quæ qui rite discernet, is totam rationem investigationemque nostram facilius animo assecuturus est.

Neque vero non reputare debemus, fabulis nova semper afferri, ipsarum mutationes fieri, multa vetustate aboleri, alia in alium modum narrari, sicubi posceret addita rerum scientia, aut prolata orbis terrarum notitia, aut deminuta etiam hominum credulitas. In unaquaque igitur fabula ad veterrima quæque redeundum esse statuimus, ut sinceram puramque eam cognoscere liceat. Eoque magis cavendum est ne additamenta ejusmodi in germanam narrationem irrepant, quod probabilem magis verique similem semper efficiant, ideoque seriori ætati magis accommodatam. Etenim viris doctis et sapientibus deest plerumque ea religio quæ omnia mirifica credibilia statim faciet: quamobrem ad mutationes atque interpretationes es conferunt. Quocirca si fabulæ alicujus progressum

ac tanquam auctum respicias, crescentem quidem invenias rerum copia et varietate, sed ipsa miraculorum magnitudine labentem ac deficientem: ut vitam humanam miris modis referat, primum quia vires ejus usu vigent atque velut adolescunt, deinde etiam quia a divina quadam origine et infantia profecta, postea inanem miraculorum fidem omittit, et in hanc vitam ac negotia quotidiana descendit: mole deinde ac copia augetur, simul pulchritudinem nescio quam humana majorem sensim amittit; atque eam fere seriem ac vitæ tanquam declinationem patitur, quam poeta noster nobili carmine de ævo humano cecinit: quod Anglice luculente dictum vereor ut possim pro verborum inopia exprimere [f]:—

Vivimus (inquit) infantes haud parvo lumine divum;
Paullatim urgeri tenebris et carcere cæco
Incipiunt pueri: tamen illi luminis oras
Dispiciunt fontemque ipsum, gaudentque tuendo;
Continuo ut juvenis jam templa orientia linquens
Carpit iter, tamen interpres sanctusque sacerdos
Naturæ est; affulget eunti magna Deûm lux.
Jamque viro plenæ quoniam stant robore vires
Auroræ proprius periit rubor, omnia deinde
Albentis media mutantur luce diei.

Verum enimvero hæc rerum initia et quasi incunabula miro quodam studio diligimus: et quocunque modo aliquid de temporibus humani generis antiquissimis seu ex lingua quadam seu pictura seu verbo discere possumus, id statim avido animo amplectimur: haud aliter atque condita servamus cura præcipua viri illustrissimi cujusque rudia pueritiæ ac ludorum juvenilium monumenta, ut ex eorum mole ac dignitate ipsius quoque animi magnitudinis conjecturam aliquam faciamus [g].

[f] Wordsworth, "Heaven lies about us in our infancy," &c.
[g] M. Müller, Oxford Essays for 1856, p. 5.

Ut igitur ad ipsos Argonautas tandem revertar, placuit fabulam ipsam qualis a scriptoribus diversis tradita est, nunc commemorare: in qua discrepantes magis auctores sunt quam ut quid vetusti ac germani, quid novi ac recentioris, discernere queas.

Hesiodus quidem narrat Argonautas per Phasim ad oceanum circumfluentem subiisse; deinde alto et æquabili flumine circum orbem terrarum vectos eo tandem pervenisse unde Nilus originem suam ducit: per quem inde devectos ad lacum Tritonida Libyæque oram maritimam transiisse.

Alii autem, quos Apollonius Rhodius secutus esse videtur, quum vetustam illam eandemque suavissimam de Oceano flumine opinionem incredibilem esse jam suspicarentur, aliam inibant rationem, putabantque Argonautas iter solitum deserere coactos ad Istrum confugisse: cui quum essent duo alvei quorum alter in pontum Euxinum, alter in Adriam effundebatur, heroas eo fluminis pervenisse ubi in bina fluenta scinditur, atque inde continuo sequentibus usque Colchis ad Adriam prono flumine devectos esse.

Sed Timæus omnium in hac re constituenda audacissimum se præstat, quum Argonautas facit Palum Mæotida intrantes, ac Tanai flumine subvectos inde navem ipsam terrestri itinere ad aliud flumen transferentes, quod in Oceanum illum Septentrionalem effluebat: inde prope totius Europæ oram maritimam legentes ait eos tandem Gades atque columnas Herculeas contigisse, deinde in mare Mediterraneum intrasse, ac loca plurima fabulis commemorata adiisse. Neque deerant qui, longinquis illis itineribus improbatis, Argonautas affirmarent eadem via regressos, qua profecti essent; hisque Sophocles et Callimachus gravissimi in tali re auctores assentiuntur.

Tales igitur fere erant auctoribus de universo heroum

cursu discrepantiæ: si vero unumquodque memorarem eorum quæ fecisse dicuntur, infinita ac numero carentia viderentur. Apud omnes enim scriptores narrationes traduntur locis singulis vulgatæ, ipsorum quoque heroum reliquiæ, monumenta, vestigia, sacra, templa; quæ et in Europæ et in Asia per totam fere oram maritimam conspersa erant. Itaque optime summam concipere videtur Justinus [h], qui Jasoni ait totum fere Orientem ut conditori divinos honores templaque constituisse: atque alii auctores sunt Occidentem quoque nonnulla ejusdem monumenta habuisse. Bene enim dictum est fabulas quas mythicas vocant, arboris illius Indicæ simillimas esse quæ fertur ex una tantum stirpe ac radice exorta, postea in lucum latissime patentem et umbra densissimum augeri [i].

Jamque ut ad interpretationes pergendum videtur, primum quidem infinita veterum commenta res mirificas per similitudines quasdam aut translationes aut fortuitos in vocabulis nonnullis errores explicantium prorsus prætereunda esse judico: quippe quæ non solum ficta et a vero abhorrentia sint, sed etiam absurde imperiteque ficta, atque irrisione magis quam refutatione digna: et venio ad ceteras magis probabiles quas moliti sunt viri ingenio sagacissimo præditi; qui quum omnia mirifica illa et incredibilia, atque in primis quos Deos ex machina nescis quis appellabat, abstulissent, jam tandem restare aliquam veræ historiæ partem putaverunt.

Sed quum narratio ista divino numine ac miraculis omnibus tali ratione exuta est, multa tamen vix credibilia relinquuntur. Quis enim posset credere eos qui mare nunquam antea tentassent, continuo longa navi viam maxime periculosam primo conatu ac quasi impetu conficere potuisse, atque ad eam regionem statim pervenisse,

[h] Justin, xlii. 3, quoted by Grote, vol. i. p. 331.
[i] Carlyle, quoted by M. Müller, Oxford Essays.

quam posteri post plurimam rei nauticæ consuetudinem vix attingebant? Porro eo quoque fides rerum haud minime corruit, quod et ipsum navigationis consilium in illa veterum inscitia parum probabile videtur: quodsi creditur Jasonem sibi propositum habuisse ut ad Colchida navigaret, necesse est eum putemus notitiam aliquam aut famam certe terræ ejus accepisse, atque itinera viarumque regionem aut novisse aut didicisse: quæ omnia ea sunt ut neque facta esse credas neque fieri potuisse. Denique accedit ut quid sibi velit aureum illud vellus constituamus: in quo explicando grammatici et veteres et recentiores rationes vel diversissimas inierunt: quarum aliæ putidæ sunt statim ac ridiculæ, aliæ exquisitiores magisque ad speciem compositæ, universæ autem in hoc laborant quod poetas afferunt ita per translationes quasdam ac similitudines rem peragentes, ut quibus licuisset narrationem et veram et præclaram tradere, ii posthabita veritate, venustate, pulchritudine ad inepta quædam et inania commenta de aureo vellere confugissent.

Sed hoc certe significatur, Græcos vetustos rebus maritimis admodum floruisse. At initia earum apud Græcos mihi percurrenti visum est multa de navigationibus narrari, parva fide rerum comprobari. Si enim Homerum ipsum auctorem certe fidei in tali re probatissimæ, audias, Ulysses videbitur per maria longinqua ac periculosa cursum tenuisse, prope nullam omnino terram non adiisse: Menelaus quoque errores latissime patentes passus esse; denique ut vel antiquiora adeamus, Jasonem Argonautasque audimus orbem terrarum cursu suo circumdedisse. Contra si relictis poetarum narrationibus circa ipsa historiæ monumenta verseris, recentiorum certe navigationes ac commercia intra fines longe breviores cohibita invenies: quumque apud veteres illos heroas Ægyptus, Cyzicus, Corcyra prope in limine iis

itinerum essent, posteri quos ex Herodoto aliisque serioris ævi scriptoribus cognovimus, sive erant mirum quantum viribus et virtute degeneres facti, sive ex aliis causis impediti, consuetudine maris multo arctiore utebantur. Enimvero Ægyptus Græcis mercatoribus nonnisi post Olympiadem tricesimam patebat, eosdem a ponto Euxino gentes efferæ et advenis inhospitæ diu prohibebant: celeberrima denique cum Tartesso commerciorum necessitudo a fortuito cursu Samii Colæi orta, postmodo Phocensibus cum Arganthonio frequentissima et conjunctissima erat. Omnia igitur seriorem fuisse testantur Græcis rei maritim excellentiam quam aiunt poetæ: immo perspicuum est omnem maris usum ac mercatum quem Græci usurparunt multis antea annis Phœnices occupâsse, atque solita mercatorum veterum invidia et malignitate a portibus et viis quibus ipsi utebantur homines alienos semper deterrere ac prohibere consuevisse: ut facile appareat, quum Græcis heroicis temporibus navigationes longinquæ inusitatæ essent, itinera illa Ulyssis et Jasonis potius ex Phœnicum rumoribus ac sua ipsorum spe fluxisse, quam ad rerum veritatem perscripta esse. Equidem vero nescio an possim verbis his facillime summatim concipere errorem quo labant plerique veteres interpretes in fabulis explicandis. Etenim hoc certe recte persuasum habent, fabulas ejusmodi non adeo sponte creatas esse ut causa et origine omnino carerent: qua sententia, verissima illa quidem, commoti statim id agebant ut initium earum invenirent. Quod quum in navigatione aliqua posuissent quam posteri admiratione attoniti in majus quoddam diviniusque extulissent, omnia explicata esse putabant. Sed in his ut opinor a vero aberraverunt, quod, ut cum Logicis loquar, postquam effectum posuissent, causam quoque compertam ac definitam esse existimarent. Neque enim negatur navigationem talem eo stupore mentes homi-

num affecturam esse ut posteris quoque nullo non miraculo cumulatam traderent: immo conceditur in hunc fere modum rem fieri potuisse. Porro autem si poscitur ut navigationem si non pro comperta at pro verisimili habeamus, statim recusamus, et in alias causas rationesque confugimus. Quæ ipsæ forsan nihilo probabiliores sint, tamen eæ videntur quibus fides illa prisca aliquantum labefactetur subruaturque. Si enim eum rerum statum apud veteres fuisse monstrassem, unde narratio ista cursus maritimi fabulosi oritura esset, jam nihil esset cur de navigatione revera confecta cogitaremus. Nec mirum si inter tot colonias urbesque maritimas Græcas ambitione et æmulatione acerrima inter se plerumque certantes fabula ejusmodi exorta esset: cui qui crederent, sibi persuasum habebant initia rerum suarum e divino ac cœlesti illo remigium comitatu profecta esse. Quæ ratio quum primum inita esset, proculdubio in majora usque grassabatur; et novas usque Argonautarum reliquias urbs una alteraque sibi vindicabant; et in solo proprio cujusque templa, sacra, instituta tanquam adventus heroum documenta existebant plurima[k]. Etenim apud Strabonem legitur Demetrium quendam Scepsicum ad Neanthem Cyzicenum affirmantem Argonautas ad Phasim navigantes, sicut Homerus aliique testarentur, sacra Matris Idææ ad Cyzicum instituisse ambitiosius ut Straboni videbatur respondisse istam Jasonis ad Phasim peregrinationem omnino ignorare Homerum; atque Mimnermum quoque testem adesse qui domicilium regis Æetæ apud flumen Oceanum posuisset. Quæ quidem verissime disputata esse probe scimus, quia Homerum, Hesiodum, Mimnermum consentientes habemus. Nemo illorum Colchida memorat, nemo audivit: jubeamus igitur valere istud recentiorum quorundam commentum quo affirmatur Jason ad Col-

[k] Loco cit. Grote, vol. i. p. 341.

chida navigasse: agnoscamus denique hæc facta res divinas propius tangere, heroasque qui Ζηνὸς ἔγγυς fuerunt non parvo numine ac vi cœlesti præditos esse. Qualis autem aut ubi gentium fuit illa sive insula sive terra Ææa? Respondeo nusquam telluris hujus in qua hodie vivitur, fuisse: sed in mirifica aliqua regione quam veteres illi sibi ipsi finxerant, in externis quibusdam ignotisque oris ac prope fines ipsos orbis terrarum, ubi jam nulli erant vivi homines, sed heroum continuo ac deorum dearumque domicilia atque mortuorum sedes et regna Tartarea. Primum enim Ææam ita positam tradit ut nulli omnino terræ respondeat: deinde Circen fratremque ejus Æetam cum Sole ipso luminisque diurno cursu ita conjunxit, ut ad signa ac meatus cœli lucisque vicissitudines multo potius quam ad mortalium navigationes ac negotia pertineant, atque ut cum Physicis loquar rem magis astronomicam quam geographicam induxit. Ææa certe apud eum est—

"Insula ubi Auroræ domus est, et Solis origo."

Audiendus quoque in eadem Mimnermus[1] consentiens qui rem ita tradit ut terram Æam at nondum Colchida metam dicat fuisse Argonautis, eamque positam—

"Oceani ad ripam, divus qua venit Jason;"

ubi quoque Soli diverticula, et ad requiescendum loca concessa—

"Urbemque Æetæ, (inquit) rapidi qua condita Solis
Ædibus auratis lucida tela jacent."

Quis autem ferret hodie quærentem de phiala qua Phœbus cursum sub terras rursus ab occidente ad orientem peragebat? Atqui hæc quoque fabula de qua nunc agitur talis est ut quum in ea veri omnino nihil appareat, tum etiam ejus generis sit ut rei veritatem apud eam requirere, tanquam inter vivos quærere mortuos, ineptum

[1] Mimnermus, fr., quoted by Grote, vol. i. p. 340.

ac prope puerile esse videatur. Si enim locum fabulæ in cœlo reperiamus, in terris statim scrutari desinamus. Equidem nihil novi in omni hac doctrina nostra pulchrius meliusve quam collationem illam ac comparationem fabularum quæ in populis maxime diversis ac temporibus longissime distantibus unquam valuerunt; ex qua hoc præcipue discimus, fabulas ubique quam plurimas circa Solem et Auroram aut statim versari aut inde originem fontemque trahere[m].

Quamvis igitur de vera aliqua insula Ææa cursuque Argonautarum prorsus desperandum sit, tamen qualem sibi poeta finxerit, haud inutile erit nobiscum reputare ac deinde pauca de rebus ex quibus tota narratio nasci potuisset, disserere.

Quam quidem viarum regionem sibi vellet dicere poeta, hinc proculdubio perspicuum erit[n]. Primum enim ad Lemnum tradit Jasonem[o] advenisse, filiumque ejus Euneum circa tempora belli Trojani regnâsse: deinde per Planctas rupes transitum egisse:—

"Per quas præteriit ratis unica nobilis Argo:
Ipsa etiam saxis immanibus acta perîsset,
Sed prætervexit Juno, cui carus Jason[p]."

Bosporum igitur sine dubio poeta vult dicere; etenim fretum illud æqualibus ejus finem metamque navigationibus videtur dedisse; quippe hic jam desinunt res notæ, incipiunt omnia falsa et incerta esse.

Postremo insulam Ææam commemorat, a notis compertisque longissime distantem: quæ ubi ad mentem Homeri posita sit, his fere indiciis licet conjectare. Ulysses enim quum longissimo itinere a perpetua Læstrygonum luce ad insulam Ææam ipsamque lucis origi-

[m] Cf. M. Müller, in Oxford Essays, passim.
[n] Cf. Gladstone, Homeric Studies, vol. iii. The Outer Geography.
[o] Il., vii. 470. [p] Odyss., xii. 69—72.

nem pervenisset, atque ibi apud Circen mansisset, inde vento secundo per unum diem usus ad Oceani oras, deinde ad Cimmerios[q] nocte nubilisque sempiternis obvolutos navigabat; postea navi in terram subducta ad inferos pergit: unde regressus ad Oceani ostium, et ad Ææam, periculisque inde Sirenum superatis, Planctisque evitatis, inter Scyllam Charybdimque continuo Thrinaciam Solis insulam contendit: ita ut hoc certe concludere liceat insulam Ææam Orientem versus inter Bosporum et flumen Oceanum, neque longissime ab utrisque distantem, in regione monstris portentisque referta, positam esse.

Deinde ut secundum propositum meum pauca quædam fabulæ totius originis vestigia eruam, primum videndum erit quid ex religionibus priscis in eam irrepere potuerit. Refert vero Herodotus Xerxi exercitum in Græciam agenti jamque in Alum oppidum Achææ ingresso, duces itineris fabulam quandam loco propriam[r] narrâsse quæ ad templum Jovis Laphystii pertinebat. Aiebant autem qui genere Athamantis maximus natu esset ei nefas esse in Prytaneium intrare; si intrasset, vivum mactandum esse: causam esse quod Athamantem Æoli filium scelus morte expiaturum Cytissorus jam ex Colchis regressus liberasset: itaque iram divinam, quæ nunquam rite placata esset, ad posteros quoque traditam esse.

Si vero placeat alias quoque causas adjici, quum nullas inveniam quas esse veras confidam tamen potero fortasse verisimiles nonnullas afferre. Talem igitur narrationem nemo opinor nescit potuisse non tam ex una aliqua navigatione oriri, quam ex universa maris consuetudine seu id temporis incepta seu magis jamjam invalescente, seu etiam indies sperata. Quam rationem si ineundam esse statuamus Argo illa nobis fiet navium omnium exem-

[q] Odyss., xi. 1.
[r] Ἐπιχώριον λόγον. Hdt. vii. 197, quoted by Thirlwall.

plum, atque ea quam Plato Ideam sive navem Idealem vocat: deinceps Jason omne genus nautarum referet: rupes quoque Symplegades sibi dicere volent pericula universa scopulorum fluctuumque: aureum denique vellus merces divitiasque commerciis natas significabit. Si autem libeat rem paullo altius repetere, quin dicimus homines summo mirabilium studio semper perlectos esse ut quum de præteritis tum etiam de locis remotis ignotisque gaudeant sibi miracula innumera fingentes; iisque indolem formamque ubique simillimam esse; omnes præterea gentes fabulas in eundem modum narrare; thesauros gazasque mirandas, dracones vigiles, juvenes audaces, regum filias amantes, navigationes periculosas, omnia ista nulli non populo trita ac pervulgata esse. Equidem nescio an plerique rem multo suaviorem narrari censeant quod prœmium illud insigne laborum Argonauticorum haud ita magni pretii, si ad ipsum tantum respicias, fuisset. Præstantius enim ducitur Jasonem rem divinam ac numine portentisque consecratam quæsitum iisse, quam si gazas Arabias aut vellera aureo pulvere manantia sive dolo sive per vim et arma sociorum secum reportasset.

Huc quoque videtur pertinere quod res Argonauticæ ob hanc rem præsertim illustres erant, quoniam unum locum inter quatuor heroum expeditiones sibi vindicarent quibus ex omni Græcia præclarissimus quisque aderat operamque navabat: quarum numerum complebant Thebarum Trojæque obsidiones, et suis Calydonii venatio. Quæ res quum ipsæ factis complurimis splendidæ celebresque erant, tum maxime admirationem movent nostram quod tanta tamque insolita inter se concordia populi cuncti res gerebant: cujus certe in aliis Græcarum rerum sæculis exempla rarissima invenias. Equidem si causæ huic miræ concordiæ expediendæ essent, difficillimas quæsitu faterer esse; nunc inter tot miracula, pauca quædam

interpretando tollere, maximam partem vel magis impeditam relinquere, parum utile videtur. Attamen nescio an non adeo mirari debeamus omnes unius gentis civitates in prisco illo ævo concordiam ac societatem pepigisse ut possent magnum ac nobile facinus patrare, turpitudinem aliquam abolere, deorum gratiam sibi conciliare: si quis enim rebus Europæ in memoriam revocatis secum reputet tantos Christianorum exercitus divino quodam ac pio ardore incitatos ad Hierosolyma profectos esse ut quod indignum sibi videretur, abolerent, religiones maximas explerent, facinus denique, pulchrum et eximium illud quidem sed admodum sibi infructuosum, conficerent, is certe vix negare debebit Græcis quoque antiquis eandem virtutem, eandem laudis, honestatis pietatis curam fuisse.

Quod si cui parum verisimile videatur (ut oratio nostra eo redeat inde declinaverit) narrationem in hunc modum fictam esse ut prope sua sponte creverit, atque nata potius quam facta sit, fabulas is adeat pulcherrimas illas quas nuperrime e lingua Scandica versas edidit vir lepidissimo ingenio Dasentius: quas non legendas modo verum etiam lectitandas esse judico. In iis autem non unam alteramve inveniet, sed multas narrationes quæ ad instar factorum Jasonis heroumque reliquorum compositæ videantur. Quarum qui exempla requirit, audiat veterem illum seu poetam seu vatem seu qualem Græci Logographum appellabant[a]. Adolescentem refert regis cujusdam filium a sedibus paternis profectum inde itinere nonnullo confecto ad domum Gigantis divitiis viribusque præpotentis advenisse, apud eum deinde labores humanis viribus majores suscepisse. Quibus quum natura impar esset, opem ei tulisse virginem quam Gigas sibi servientem haberet, artibus magicis peritissimam ac simul amore erga juvenem devinctam: cujus auxilio monitis-

[a] Dasent's Tales from the Norse,—The Mastermaid.

que postquam labores impositos confecisset, ipsumque Gigantem fefellisset, ipsam secum subito avexisse: inde fugientes cursu maritimo insecutum esse Gigantem, sed eum virginem arte magica dolisque effugisse, atque maritum suum sospitem in paterna regna reduxisse. Neque inter Dasentinas fabulas desunt draconum quoque ac taurorum ignem naribus spirantium commenta. Namque juvenis quidam, ut exemplum aliud afferam, itinere longissimo ad Draconis[t] arcem proficiscitur, apud quem et virginem regis alicujus filiam et gazas plurimas obtinet, inque primis plumas trinas ex ala Draconis desumptas arripit, ipsumque ope ac consilio virginis interficit. Alius[u] quoque juvenis, (ut omnia exemplis comprobentur) fertur equum viribus validissimis præditum pedibusque aheneis gaudentem, atque ignem naribus exspirantem placasse ac domuisse, per eum postea facta mirifica et humanis majora confecisse. Ausim etiam confirmare omnium quotquot sunt Græcis fabulæ prope nullam non Scandicis quoque notam vulgatamque esse. Num igitur verisimilius est fabulas ex factis ipsis casu aliquo ac fortuna Græciæ cum Scandia communibus ortas esse, an non multo magis ex ipso hominum ingenio, id quod ubique fere sui ipsum simile est, fluxisse? Hisce tamen exemplis fortasse reliquum est ut hoc unum adhibeatur, quo certiores fiamus regiones istas vix terrestres atque ex rudi aliqua rerum cœlestium cognitione et observantia confictas apud Septentrionales quoque populos reperiri ac fide maxime vigere. Fabula[x] quidem suavissima narratur eademque portentis miraculisque plenissima de arce illa quæ ultra Solem ipsum si Orientem versus pergis, si Occidentem versus, ultra lunam sita est: haud aliter atque apud Homerum urbs illa

[t] Dasent, Rich Peter the Pedlar.
[u] Ibid., The Princess on the Glass Hill.
[x] Ibid., East of the Sun and West of the Moon.

Cimmeriorum ultra insulam Ææam solisque ortum fuisse traditur: eoque magis Homericam narrationem hæc Scandica refert, quod ope Boreæ ventorum validissimi locus ille cursu difficillimo contingendus est. Immo quum Scandicam fabulam perlegissem, tum mihi videbar ad fontem ipsum rerum et, si non ipsam veritatem, at ficta antiquissima ac purissima attigisse; nondum enim in eam irrepsit aliquid triti aut quotidiani aut verisimilis: omnia adhuc sincera, audacia, divina, incredibilia.

Beati certe viri illi, cujuscunque populi fuerunt, quibus licuit tot fabularum tamque præclara copia frui: quas non arduis ac molestis lucubrationibus edoctas, neque per linguam parum notam balbo tanquam ore traditas, sed quotidiano usu vigentes noscebant, ac prope cum lacte nutricis hauriebant: quibus contigit ut talibus aures vocibus undique circumsonarent, et cum ipsis cœli haustibus vitalibus inspiratas acciperent penitus ediscerentque.

Et fortunati etiam, si sua bona novissent, quibus quum in ætate seriore nati essent tamen licuit fabularum illarum fructum percipere: et si non omnibus credere, at certe cunctas pernoscere. Irascimur hercle Scholiastis illis, et Epicis prope Scholiasticis, et generi huic omni: quorum forsan ingenio parum invidendum esset, at doctrinæ et facultati vel maxime: qui credulam illam veterum simplicitatem dubitatione mutarent tam molesta et illepida, quam putida quoque et falsissima.

Nescio autem an gaudia et altiora percipiant et veriora qui hodie circa fabulas illas rite versantur. Increduli sumus: conceditur: etenim fictis gaudere puerorum est: quamquam puerilem hanc voluptatem maxime captamus. Quæ si plerumque a nobis amissa sit, quippe qui haud eisdem animi motibus ac studiis afficiamur legentes, quibus audientes Græci antiqui, tamen neque adeo repuerascere recusamus, ut fictis delectari nequeamus, neque tam puerili sumus ingenio ut interpretationibus istis fictorum

gaudeamus: semper enim nobis arriserunt heroum facta, jampridem displicent homunculorum de iis commenta, neque vero dubitamus quin melius fuerit rudem adhuc manere significationis altioris narrationum harum auditorem quam per Euemerismum tantum eas intelligere: et hac scientia illa inscitia rerum veritati fuerit convenientior.

Quantum autem fructum in ipsa rerum cognitione afferat hæc credulitas nostra incredula, continuo patebit: quia historiam claudam et hiantem et malo auspicio confictam abjecimus, doctrinæ copiam luculentissimam et præclarissimam consecuti sumus. Fateor enim nobis occlusam abditamque esse rerum temporumque seriem nimia vetustate obscurorum: sed recluditur ipsum hominum ingenium, ipsa veterum indoles: etenim, ut jam diximus, animus ille antiquitatis prope magis ad visum cognitionemque nostræ ætatis per fabulas suas aperitur, quam si historiæ scribendæ operam dedisset. Itaque nobis patent non exilia tantum fastorum monumenta, non infructuosi et inepti bellorum itinerumve annales: sed ipsa mentis humanæ penetralia et ingenii lumen et vires invictæ cogitationis, sed divina vis animi poetica, ac Musarum decus ac pulchritudo.

Si vero summum fructum, si voluptatem optimam ex fabularum notitia percipere studemus, tum majorem rerum ordinem, ac viam rationemque doctrinæ in latius patentem ingrediendum est. Fac universos Europæ populos animo percurras, omnium mores, linguas, instituta discas: omnium præcipue fabulas pernoscas: neque intra fines hos te continueris, sed in Persiam quoque et in Indiam cogitatione transieris, Persicos Indicosque eadem diligentia tractaveris, tum demum forte incipies quomodo se habuerit heroica Græcorum ætas et fabularum copia ea intelligere: quam in historias istas jamdudum depravatam ac miserrime detortam et

in temporum rationem frustra coactam indignatus, eandem subinde ut ipsius ingenii populorum Europicorum mentisque humanæ imaginem atque exemplar agnosces atque amplecteris.

Quocirca sive de voluptate quæritur, hujus nostræ rationis minime pœnitebit: sive utilitatem rerum veritatemque ipsam respicias, longe præstantior apparebit. Quanto melius enim est quod ea ex ipso fonte Græcorum ingenii deducta esse scimus, quam si a vitiata rerum memoria orta essent? Piget credere præclara ista a factis quibusdam haud ita mirandis per mendacia vana ac gloriosa poetarum in miracula evenisse: piget Herculem putare homunculum nescio quem fuisse, viribus utentem validis illis quidem, sed ab hominum norma ac ratione haud ita longe distantibus, eumque putido mendacio deceptos heroa posteros fecisse, aut etiam pro stultitia sua tanquam deum in astra extulisse. Malo hercle deum quam hominem fallacem eum fuisse credere: malo scilicet cum Græcis errare, quam cum grammaticis recte sentire.

Neque vero desunt nostratibus fabulæ suæ, non tamen eas, si Dasentium audimus, quæ nativæ ac sinceræ sint, sed colluviem aliquam ex multis nationibus ductam; ita ut Romana initia potius quam Græca referant. Vigent tamen quamquam solo peregrino, pueris decantatæ ac studio acerrimo et voluptate auditæ: sunt etiam heroes nostri qui adolescentes gigantibus interficiendis aliisque magnis facinoribus fama populari inclaruerunt.

Sunt etiam populis Teutonicis narrationes mirabiles sexcentæ: quarum copiam amplissimam collectam edidit vir insignissimus idemque indole humanissima Grimmius. Habes testes numero infinitos, locis longissime distractos, lingua valde discrepantes, aliquantam tamen similitudinem proferentes: habes omnes inter se consentientes atque tanquam uno clamore multis vocibus

[illegible] esse fabularum naturam originemque, [illegible] illa universorum Europæ popu- [illegible] indole ponendam esse. Ita denique [illegible]missimus cujus verbis nonnunquam usi [illegible] ac doctrina prope semper. "Quan- [illegible] multa in antiquitate sunt quæ nondum intel- [illegible] etiam quæ vix adhuc ita patefacta sint ut [illegible] tanquam præcordiis sentirent sciamus, tamen [illegible] clariusque hominum priscorum forma et [illegible] contemplandam noscendamque præbet: et hoc [illegible] compertum habemus, naturam hanc humanam, [illegible] sit regione orta, statim ab ipsis rerum in- [illegible] castam et honestam et intaminatam fuisse: [illegible] cum iis ea certe necessitudine conjunctos esse ut [illegible] erroribus ignoscere, et ex somniis eorum nonnihil [illegible]picari possimus[y]."

[y] M. Müller, Oxford Essays, p. 5. 1856.

affirmantes unicam esse fabularum naturam originemque, eam omnem in unica illa universorum Europæ populorum stirpe atque indole ponendam esse. Ita denique testatur vir insignissimus cujus verbis nonnunquam usi sumus, sententiis ac doctrina prope semper. "Quanquam," ait, "multa in antiquitate sunt quæ nondum intellecta, multa etiam quæ vix adhuc ita patefacta sint ut quid intimis tanquam præcordiis sentirent sciamus, tamen planius jamjam clariusque hominum priscorum forma et imago se contemplandam noscendamque præbet: et hoc certe compertum habemus, naturam hanc humanam, quacunque sit regione orta, statim ab ipsis rerum incunabulis castam et honestam et intaminatam fuisse: nosque cum iis ea certe necessitudine conjunctos esse ut et erroribus ignoscere, et ex somniis eorum nonnihil auspicari possimus[y]."

[y] M. Müller, Oxford Essays, p. 5. 1856.